

EXPLA-
NATIO.
¶ Ver. 1, 2.
¶ 4.

Nihil obscuri habent hi versus quemadmodum nec reliqui. Principio excitat ad cantandum, bene dicendum: hoc est est laudatum, euangelizandum & narrandum. Deinde addit, cui cantandum sit, ter repetit illud. *Cantate Domino;* & adiicit: *Benedicite nomini eius.* Tertio adiungit, quid sit cantandum: *Canticum nouum,* inquit. Nouæ beneficentia debetur canticum nouum. Ad literam fieri potest, ut Psalmus hic novo cuidam & insigni miraculo diuinitus exhibito, sit destinatus: sicut & 1. Par. 16. coram arca Dei, à Davide reducta, decantatus legitur: spiritu tamē & veritate respicitur à Propheta ad regnum Christi. Ad hæc, quid sit euangelizandum (si enim reddere placuit verbum בָשָׁר) nempe *salus Dei:* id est, virtus & beneficentia saluandi, in populo illius copiosissimè declarata. Quartò, quanta sedulitate & perseverantia euangelizanda sit salus Dei: *De die,* inquit, *in diem:* hoc est, singulis diebus, sine intermissione. Quinto, quid sit narrandum: *Narrate,* inquit, *gloriam eius, & mirabilia eius.* Gloriam eius intelligit, ex mirabilibus illius operibus reluciente magnificentiā, bonitatem, sapientiam & potentiam. Sexto, ubi sit gloria mirabilium Dei narrata: *In gentibus,* inquit, *& omnibus populis.* Non in Iudea tantum, sed per vniuersum Orbem: *Narrate,* inquit, *gloriam & mirabilia eius.* Septimo, quinam illi sunt, quos ad cantandum Domino, benedicendum nomini eius, euangelizandum salutem eius, narrandum gloriam & mirabilia eius prouocet & inuitet: *Omnis terra,* inquit. Intelligit autem per terram inhabitatores terræ nō illius Iudaicæ tantum, sed planè vniuersè per totum Orbem. Itaq; Psalmus hīc planè prospicit ad futurum Christi regnum: cuius gloriam, mirabilia & salutem in spiritu Prophetæ præuidit, præuidendoq; magnificat, ac omnibus commendare voluit.

OBS. 1.

Cantate, benedicite, euangelizate, narrate.] Noteimus principio, quem animum & spiritum, quem sensum beneficiorum Dei, quam lætitiam & erga benefactorem gratitudinem exigat his verbis. Spiritus sanctus: quibus ad hoc nos excitat, ut simus cantores, laudatores, euangelistæ & narratores. Qui stolidi, stupidi, saxe, trunci, increduli & ingratii sunt in rebus Dei, nec cantatores, nec laudatores, nec euangelistæ, nec narratores esse possunt. Hoc enim hominum genus, vel beneficijs Dei more pecudum vtitur, vel murmurat etiam & maledicit: quales erant Israëlitæ in deserto, & hac nostra tempestate multi ingratii & peruersi Christiani. Requiritur itaq; sicut dixi, sensus beneficiorum Dei, animus gratus, cor exhilaratum, & aff. Etus cunctis magnalia Dei de prædicandi, vnde reddamus cantatores, laudatores, euangelistæ & narratores.

OBS. 2.

Deinde & hoc notemus, quod dicit: *Cantate Domino: item, Benedicite nomini eius.* Ad hæc *Euangelizare, salutem eius: item, Narrate gloriam eius in gentibus, &c.* Duo sunt diuinæ laudis genera: vnu habet doçō, & animi erga Deum gratitudinem. Hoc innititur verbis *cantandi & benedicendi:* quod postremum etiam ab Euangelistis & Apostolis pro laude & gratiarum actione: idq; in descriptione cœnæ Dominicæ, sumitur. Alterum, ad proximum dirigunt, quod hīc exprimitur verbis *euangelizandi & narrandi* Deo non euangelizamus & narramus quæ gesserit magnalia, sed proximis. Cōiuncta sunt hæc duo, coniunctimq; requiruntur à pijs omnibus vt & Deum animo grato laudent, proximis euangelizent, & de Deo narrent.

OBS. 3.

Canticum nouum.] Expendamus & hoc, quod postulat à nobis, vt nouum canticum Domino cantemus. Sicut in explanatione dixi, novo insigni vel λατρευμα, vel ἀρρενιμα rectè debetur nouum canticum. Et hi qui recentia & insignia mortalium facinora carmine volunt extollere, nouum se canticum mox carminis initio cantaturos dicunt, quo auditores ad auscultandum excitent. Hoc sensu quæso, quis dies dabitur, quo pius nouum Deo canticum cantare nequeat? Etenim singuli dies noua Dei beneficia mortalibus adferunt, quæ merito nouo cantico celebrantur. Quod verò attinet ad regnum Christi, canticum nouum est, euchararistia illa, quæ Domino per totū Orbem sacrificatur, qua beneficentia illa recens & inaudita Orbi per Christum collata extollitur ac celebratur: cuius etiam Esaias cap. 42. meminit, dicens: *Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terre.* vide locum ipsum. O' quam felices sunt, quibus hoc canticum perpetuò re- cens & nouum est.

OBS. 4.

Cantate Domino omnis terra.] Ergo beneficentia Christi oblata est vniuersæ terræ. Etenim quomodo iuberetur terra aliqua Domino canticum hoc nouum cantare, quæ ab hac regni illius gratia esset exclusa? Deinde, si canticum hoc ab omni est terra: id est, terræ inhabitatoribus cantandum: quomodo hodie aduersarij veritatis offenduntur, quod in Ecclesijs nostris plebs vniuersa, non solum docti & ministrari, canticum hoc nouum Domino canunt? Sed hoc hominum genus non tam per ea offenditur quæ scelestæ sunt, iniusta, & Deo odibilia, quæ præter inolitam malam consuetudinem fiunt.

OBS. 5.

Euangelizate de die in diem salutem eius.] 1. Obseruemus hīc primū, quale genus doctrinæ detur regno Christi: *Euangelizate, inquit, & narrate.* Non dicit, *Mandate ac præcipite:* sed, *Euangelizate, & narrate.* Est quidem etiam præceptis locus in regno Christi, verum propria, peculiaris ac conueniens amplitudini cœlestis gratiæ doctrina est Euangelium. *Euangelizare,* est bonū nuncium narrare & prædicare, quo nō quid facere debeas præcipitur, sed quid credendū & grato animo complectendum sit, de prædicatur. 2. Alterū, quid sit euangelizandum & narrandum. Tria ponit salutem, gloriam, & mirabilia Dei. Coniunguntur ista omniū cōuenientissimè. Nō simpliciter gloriam, nec simpliciter mirabilia, nec salutem tantum: sed salutem, gloriam & mirabilia eius. Gloriæ & mirabilibus coniuncta est salus, saluti vicissim gloria & mirabilia. Est enim salus illa Dei Mudo p Christū parta, & gloria Dei & mirabilibus operationibus Dei refertissima. Rursus, gloria & miraculosa illa virtus regni Christi, salus nostra sunt. Dum itaq; salutem hanc euangelizamus, gloriam, & mirabilia Dei narramus: ac rursus, cūm gloriam & mirabilia Dei narramus, salutem nostram euangelizamus. Cedat ergo doctrina meritorum, quæ vt non Dei, sed humanam salutem humanis viribus partam prædicat: ita non Dei, sed hominum gloriam